



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

Capvt X. Pauperum diuitias esse regnum cælorum, quod non solùm ipsis  
promissum, sed etiam alijs per ipsos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

## CAPVT X.

*Pauperum diuitias esse regnum calorum,  
quod non solum ipsis promissum, sed  
etiam alijs per ipsos.*

§. I.

*Pauperum eminentia regia, etiam in hac  
vita.*

Matth. 5.  
3.

**M**erito censetur gratia diuina eos  
supra naturam euexisse, qui mor-  
tem, quã natura horret, non so-  
lum, diebus singulis, expectant, verum ho-  
ris quoq; singulis desiderãt. Tales ergo cum  
sint pauperes spiritu, conficitur pauperta-  
tem in beneficijs esse numerandam. Et qui-  
dem cur pauperes mortem non formident,  
sed ament, satis est declaratum; vt enim  
auari, per mortem, ad tormenta, ita pau-  
peres spiritu ad gaudia tendunt, *quonia ipso-  
rum est regnum calorum.* Non est ipforum  
quidem terra, sed maius quid, nempe ipsum  
*regnum calorum*; vt de D. Martino Turo-  
nensi Episcopo canit Ecclesia: *Martinus hic  
pauper, celum diues ingreditur*, nam ex pro-  
misso Christi, *ipsum est regnum calorum.* Ex  
quo Christi oraculo duo intelliguntur: pri-  
mum

num est eiusmodi pauperes non in altera duntaxat vita, sed etiam in hac diuitibus esse beatiore. Alterum, eos non sibi duntaxat, sed etiam alijs esse vtiliores. Quod inde potest doceri; quia tametsi Seruator noster etiam mitibus, & misericordibus, & mundis corde, &c. regnum caelorum promittat, non promittit tamen, sub nomine *regni caelorum*, sicut paupertati voluntariae, & patientiae in tribulationibus est promissum. Mitibus enim sub nomine *terrae*, misericordibus sub nomine *misereticordiae*, mundis corde sub nomine *visionis Dei*, lugentibus sub nomine *consolationis* &c: beatitudinem aeternam consignat. Pauperes vero beati dicuntur, *quoniam ipsorum est regnum caelorum*, eminent enim inter ceteros, quasi quidam reges. Qua de causa non ait: *quoniam ipsi sunt de regno caelorum*, sed, *ipsorum est regnum caelorum*. Quod ergo discrimen est inter reges & subditos, id quodammodo est inter pauperes ac diuites beatos. Regis regnum, subditi de regno esse dicuntur. Cum ergo ait Dominus, *ipsorum est regnum*, ita eos extollit, vt pro regibus velit haberi. Quod si hoc verum est in ijs pauperibus, qui non sponte, sed patienter tantum sunt pauperes,

Q 2

peres,

peres, quantò magis conueniet illis, qui libera voluntate diuitias abijciunt, & calcant, paupertatemque vltro profitentur?

## §. II.

*Pauperum potestas regia etiam in hac vita.*

Iam verò illud consideratione dignum est, quòd diuina sapientia, quæ cæteris de futuro mercedem promittit, dicens: *possident terram; consolabuntur; saturabuntur; misericordiam consequentur; Deum videbunt; filij Dei vocabuntur: solis autem pauperibus, ac persecutionem patientibus ait: quoniam ipsorum est regnum calorum; quia, vt D. Bernardus ait: Regnum calorum pauperibus non tam promittitur, quam datur. Hinc non dicit, ipsorum erit, sed, est regnum calorum. Etsi enim vera æternaq; beatitudo, non in hac, sed in altera primùm illis vita, haud secus ac ceteris sanctis, conferenda sit, iuxta*

**Exod. 33.** *illud: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet; attamen honoris & certitudinis causâ iam illorum esse dicitur. Enimuerò iam est, quoad quamdã iurisdictionem, ac potestatem id alijs quoq; aperiendi. Atq; hoc est alterũ, quod paulò priùs diximus, pauperes alijs esse longè plus vtilis, quàm diuites. Diuites possunt*

*alijs*

alijs pecuniam, possunt vestem, possunt cibum, possunt domum dare, cælum dare, non possunt. Atqui pauperes possunt. Non possent autem regnum calorum alijs dare, si id illorum non esset. Regis esse regnum, propulum regni esse dicimus. Christus autem ait, pauperes non tantum ad regnum caeleste pertinere, sed etiam regnum caeleste esse ipsorum. Etenim adeò est illorum, ut habeant potestatem illud etiam alijs dandi, seu alios in illud recipiendi. Quomodo, inquires, possunt pauperes regnum calorum alijs dare? Diuina id veritas docet his verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Ita enim planè est, ad hanc pauperes voluntarij gloriam euehuntur, ut veluti caelestes quidam reges, regnum calorum, quod illorum est, etiam alijs distribuant. Quamquam enim hæc Dei sit iurisdictio propriè, tamen pauperes sic voluit Deus honorare, ut eorum causa facilè eos ad regnum calorum admittat, qui illis stipendant, atque idcirco, quia *misericordes sunt, misericordiam consequuntur.* Non dixit autem Christus, *ut postquam pauperes mortui fuerint, recipiant vos ibi,* sed, *ut cum vos defeceritis,*

Luc. 16.9.

feceritis, seu mortui fueritis, ipsi recipiant vos, adhuc in hac vita manentes. Quod proprium est regum, qui etsi extra regnum suum versentur, tamen alios in regnum intrmittere possunt. Ad eundem enim modum pauperes, adhuc extra cælum existentes, alios ad cælum queunt promouere, non impetrando tantum, sed etiam viscera eorum mouendo, vt fiant misericordes, atque idcirco & ipsi misericordiã consequantur. *Hæc est illa perfecta iustitia, inquit Lactantius, qua custodit humanam, de qua Philosophi loquuntur, societatem. Hic diuitiarum maximus ac verissimus fructus est non uti opibus ad propriam vniuersi voluptatem, sed ad multorum salutem; non ad presentem suum fructum, sed ad iustitiam, qua sola non interit.*

Lactant.  
l. 6. c. 12.  
de vero  
cult.

## §. III.

*Regnum cælorum dare, esse pauperum, quia id possunt impetrare orando.*

Act. 9. 36.

Orationes sanè pauperum dignas esse, quæ impetrent, quod orant, ostendit D. Petrus in Thabitha, quæ erat plena bonis operibus, & Eleemosynis, quas faciebat, pro qua Petrum circumsteterant omnes vidua stentes & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Ob quas preces eam Apostolus à morte

morte ad vitam reuocauit. Flexit Petrum oratio pauperum, & non flectat Deum infinite misericordem? qui semper respexit in oratione humili, & non spreuit precē eorū. An non intuens eleemosynas dantis, & preces accipientis, peccatorem quoque, qui peccata sua eleemosynis redimit, ad gratiam, quæ est vita spiritualis, reuocabit? immò an non defunctos ad æternam vitam in cælo degendam admittet? Hac de caussa in primitiua Ecclesia agapæ funerales sunt institutæ. Cur post mortē tuorū pauperes vocas; inquit Chrysostomus, cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro, te responsurū: ut defunctus requiē adipiscatur, & propitiū iudicē inueniat. De qua consuetudine loquitur etiam D. Paulinus cū scribit: Itaque patronos animarū nostrarū pauperes, qui tota Roma stipē meritant, multitudinē in aula Apostoli congregasti. Pulchro equidē tanti operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor, tota illa religiosa miseranda plebis examina, illos pietatis diuina alumnos tantis influere penitus agminibus in amplissimā gloriosi Petri basilicā, per illam venerabilē regiā carula eminens fronte ridentē, ut tota & intra basilicā, & pro ianuis atrij, & pro gradibus campi spatia

Psal. 102  
18.

Dan. 4  
24.

S. Chry-  
lostom. in  
Matth.  
homil. 32<sup>o</sup>

S. Paulin<sup>us</sup>  
ep. 31. ad  
Alethiū  
de funere  
vxoris  
Rufinæ,  
filie S.  
Paulæ.

coarctentur. Video congregatos ita distincte  
 per accubitus ordinari, & profluis omnesatura-  
 ri cibus, ut ante oculos Euangelica benedictionis  
 ubertas, eorumq; populorum imago versetur,  
 quos quinq; panibus & duobus piscibus, panis  
 ipse verus, & aqua viva piscis Christus expleuit.  
 Hæc & plura ibidem S. Paulinus de epulis,  
 quæ, pro defunctis, dabantur paupertinæ  
 plebi. Cui olim accensi sunt & sacerdotes &  
 Religiosi. Ita enim scribit Origenes: Sic  
 itaq; nos diem natiuitatis celebramus, quia in-  
 perpetuo viuunt hi, qui moriuntur: celebramus  
 nimirum Religiosos cum sacerdotibus conuocan-  
 tes, fideles una cum clero, inuitantes adhuc ege-  
 nos & pauperes, pupillos & viduas saturantes,  
 ut fiat festiuitas nostra in memoriã requiei de-  
 functis animabus, quarum memoriã celebramus;  
 nobis autem efficiatur in odore suauitatis in  
 conspectu aterni Dei. Ad eundem finem &  
 olim, & etiamnum mendici ad fores tem-  
 plorum sedere consueuerunt; non enim mo-  
 dò id fiebat, ne obstrepentes sacra agentibus  
 in Ecclesia, atq; inibi precantibus mo-  
 lesti essent; sed & ut ingredienti in tem-  
 plum prius ipsos exorarent, atq; ita grati-  
 eorum postea preces, suis quoque precibus  
 geminarent potentioresq; redderent. Vt  
 enim

Origen.  
 lib. 3. in  
 Iob.



enim plurimum vox longius auditur, quam  
 unius, ita fortior fit altiusque in cælum as-  
 cendit oratio illius, cum quo orant eleemo-  
 synæ pauperibus distributæ. Nam & hoc  
 quoque Dominus indicat, cum ait: *Dico* Matth. 18.  
*vobis, quia si duo ex vobis consenserint super* 19.  
*terrâ, de omni re, quamcumq; petierint, fiet*  
*illis à Patre meo, qui in cælis est.* Morem hunc  
 mendicos extra Ecclesiam, ad mendicandû  
 (nam ad alia diuina peragenda ingredi eis  
 licebat) constituendi, discimus in claudo  
 illo, qui a suis ad templi portam Speciosam  
 fuit expositus. Caussam indicat D. Chry-  
 sostomus, dum ait: *Propterea & ante Ec-*  
*clesias, & martyrum monumenta pro foribus*  
*pauperes sedent, ut nos ex eiusmodi spectaculo*  
*multû capiamus utilitatis: Considera namque*  
*quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil*  
*huiusmodi cernere licet, sed viri honesti, &*  
*splendidi, & diuites, & prudentes passim dis-*  
*currunt: ad veras autem regias, ad Ecclesiam*  
*dico, & oratorias ades, & martyrum templa,*  
*demonibus pressi, truncati, pauperes, senes*  
*caci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tan-*  
*dem? ut tu docearis. Quid? audire illos fo-*  
*ris, ut te audiat Deus intus; succurrere illo-*  
*rum egestati, ut tuæ vicissim necessitati suc-*

Actor. 3.  
 Chrylost.  
 ad pop.  
 Antioch.  
 hom. 18.

D. Gre-  
gor. Na-  
zianz. in  
orat. de  
amore  
pauperū.

Sebast.  
Munster.  
lib. 2.  
Cosmog.

currat Deus. Nam si audiueris, audieris. Illi enim tecum orabunt, quia pro te. *Ita petitionū clamor*, ait D. Gregorius Nazianzenus, *internis templi cantibus ex aduerso respondet, atq; è regione mysticarū vocū miserabilis luctus excitatur.* Sic ergo pauperum est regnum cælorum, vt illud alijs quoque impetrent, quorum orationi pondus addunt; & cum illis velut canes quidam venatici, cælum venantur, quemadmodum B. Amadeus Sabaudia dux dicere solebat.

## §. IV.

*Regnum cælorum à pauperibus aperiri, dum alios ad misericordiam mouent.*

Sed altero quoque modo vim habent, vt recipiant diuites in æterna tabernacula, qui se eorum ærumnis passi sunt moueri, vt fierent misericordes, & diuitias suas per eos, ante se, in cælum, præmitterent, per elemosynam, quia *ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiã, & vitã æternam,* ait Archangelus. Et Dauid: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Qui, licet sit iudex æquissimus, tamen hac pecunia se sinit placari, quæ per manus pauperum ad eum transmissa ex iudice patronum facit. Siqui-

Tob. 12. 8.

Psal. 40.  
1.

dem, vt aureum os loquitur. *Hac Christi  
astat tribunali, non tantum patrocians, verum  
& ipsi persuadens Iudici, ut reo patrociniū pre-  
stet, & pro eo sententiam ferat: & licet milles  
peccauerit, coronat, & victorem promulgat.*  
Propertij versus est.

*Hand ullas pertabis opes, Acherontic ad  
undas,*

*Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.*

Quam vellent res suas secum tollere diuites  
cum moriuntur? Sed, præter vilem pannū,  
aut vestes exiguas, mox à putredine atque  
vermibus consumendas, nihil hinc secum,  
auferre sinuntur; nec, si sinerentur, prodes-  
sent. Est tamen vnus ille modus, quo, quid-  
quid volunt, vtiliter possunt, per manus  
pauperum, ad cælestes thesauros transmit-  
tere, si quidem egentibus non pigeat com-  
mittere. *Patrimonium Deo creditum, ait S.  
Cyprianus, nec fiscus inuadit, nec calumnia  
aliqua forensis euertit. In tuto hereditas poni-  
tur, que Deo custode seruatur.* Quo pacto Ri-  
badeneira scribit, S. Catharinæ Senensi ali-  
quando Christum apparuisse, ei que crucem  
argenteam exhibuisse (quam illa, cum  
aliud ad manum non haberet, pauperi de-  
derat) atque adiecisse, se illam olim in ex-  
tremo

S. Chry-  
sost hom.  
33. ad pop.

Propert.  
lib. 3.

S. Cypr.  
tract. de  
opere &  
eleemo-  
syna.  
Ribaden.  
in vita S.  
Cathari-  
næ.

tremo iudicij die toti mundo ostensurum. Vsq̄ue adeò non perdita illa erat, sed serua-  
ta. Quemadmodum illa eleemosyna, quam  
D. Gregorius refert, à pia quadam muliere  
datam. Illa enim, cùm duobus martyribus  
peregrino habitu apparentibus stipem pro-  
more suo porrexisset, in gratiarum actione  
hæc ab eis verba audiuit: *Tu nobis modo opi-  
tularis, tibi nos extremo & periculosissimo die  
opitulabimur.* Ita non modò beati sunt paupe-  
res, quoniam ipsorum est regnum calorum, sed  
etiam quoniam ad illud alios quoque pos-  
sunt promouere: immò & illi sunt beati,  
qui pecuniam, cibos, vestes, aliaque dant  
pauperibus, quia vsuram vberem atque  
honestam exercent. Nempe *terrena omnia,  
que seruando amittimus, largiendo seruamus.*  
ait D. Gregorius.

## §. V.

*Misericordes misericordiam consequi.*

Præclare id docet etiam D. Augustinus in  
hunc modum diuites alloquens: *Mundum  
præstat Deus pauperi, præstat & diuiti. Num-  
quid quia diues est, duos ventres impleturus est?  
Attendite, & videte, quoniam de datis Dei  
pauperes saturati dormiunt. Qui pascit vos, pa-  
scit illos per vos. Ergo non ametur pecunia, sed  
si iam*

S. Augu-  
stin. hom.  
13. lib. 50.  
Homilia.

si jam habent hoc inde fiat. Diuites, qui illam  
 habetis, estote. Sed unde diuites? In operibus  
 bonis; facile, inquit, tribuant, communicent.  
 Hic jam auaritia contrahit se, quando audit,  
 facile tribuant, communicent, velut aqua  
 frigidam perfunditur, rigescit, stringit sinum, &  
 dicit: non perdo labores meos. Infelix perdere  
 vis labores tuos. Ecce morieris, & qui nihil huc  
 attulisti, nihil hinc potes auferre. Cum nihil  
 abstuleris, nonne perdidisti omnes labores tuos?  
 Audi ergo consilium DEI: nolo terrearis, quia  
 dixit: facile tribuant, communicent. Audi &  
 quod sequitur, expecta, noli contra me claudere  
 ostium, nec aditum cordis tui, expecta. Vis  
 nosse, facile tribuant, communicent, quia non  
 perdes, & hoc solum non perdes: Thesaurizent,  
 inquit, sibi fundamentum bonum in futuro, ut  
 apprehendant veram vitam, ista ergo qua te de-  
 lectat, falsa vita est, quasi in somnis hic visis.  
 Si quasi in somnis hic visis, euigilaturus es,  
 quando morieris, & nihil habes in manibus  
 tuis inuenire. Quomodo si mendiculus dormiat,  
 & in somnis illi veniat hereditas, nihil illo feli-  
 cius, antequam surgat. Videt se in somnis tra-  
 ctare manibus vestes egregias, pretiosa vasa, au-  
 rea, & argentea, intrare in amoenissima, &  
 amplissima pradia, obsequi sibi magnas familias:  
 euigilat,

euigilat,

Psal. 75,

euigilat, & plorat. Et quomodo vigilans accusat  
 hominem, qui illum expoliavit, sic illum accu-  
 sat, qui illum excitauit. Apertissime hinc lo-  
 cutus est psalmus: Dormierunt, inquit, som-  
 num suum, & nihil inuenerunt omnes uiri di-  
 uitiarum in manibus suis, posteaquam finierunt  
 somnum suum. Quia ergo nihil attulisti, ni-  
 hil hinc ablaturus es. Mitte sursum, quod in-  
 uenisti, & non perditurus es. Da Christo, Chris-  
 tus enim hic uoluit accipere. Da Christo, &  
 perdis? non perdis. Si commendas seruo tuo,  
 quod acquisuisti, & non perdis, commendas Do-  
 mino tuo, & perdis? si commendas seruo tuo,  
 quod acquisuisti, & non perdis, perdes si com-  
 mendas Domino tuo, quod accepisti ab ipso Do-  
 mino tuo? Egere hic uoluit CHRISTVS,  
 sed propter nos. Omnes pauperes, quos uidetis,  
 potuit illos Christus pascere, quomodo per cor-  
 uum Eliam paut; tamen & ipsi Elia subtraxit  
 coruum, ut à uidua pasceretur, non Helia pra-  
 stitit, sed uidua. Quando ergo Deus pauperes  
 facit, quia ipse non uult, ut ipsi habeant, quando  
 facit pauperes, probat diuites. Sic enim scri-  
 ptum est; pauper & diues occurrerunt sibi. Ubi  
 sibi occurrerunt? In hac uita. Natus est ille,  
 natus est ille. Inuenerunt se, occurrerunt sibi.  
 Et quid? fecit autem ambos Dominus. Diui-  
 tem,

tem, unde pauperē adiuuaret; pauperē, unde diuitem probaret. Pro viribus suis unusquisq; faciat. Non sic faciat, ut ipse patiat<sup>ur</sup> angustias. Non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alijs. Audistis modo cū Euangelium legere-  
tur: Quicumq; dederit calicem aqua frigida, uni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem suam. Regnum calorum venale proposuit, & pretium eius calicem aqua frigida esse voluit. Sed quando est pauper qui facit eleemosynam, tunc debent eleemosyna eius esse calix aqua frigida. Qui plus habet, plus faciat. Vidua illa de duobus minutis fecit, Zacchaeus dimidium rerum suarum dedit, & ad reddendas fraudes suas, aliud dimidiū reseruaui. Eleemosyna illis profunt qui vitā mutauerunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas praeiterita. Nam si deo illi das, ut liceat tibi semper impune peccare, non Christum pascis, sed iudicem corrumpere conaris: ergo ad hoc facite eleemosynas, ut vestra orationes exaudiantur, & adiuuet vos DEVS ad vitam in melius commutandam. Et qui commutatis eandem vitam, in melius commutate, ut per eleemosynas & orationes deleantur mala vestra praeiterita, & futura bona veniant sempiterna.

## §. VI.

Cur prudentes domini, pauperes magni  
faciant.

Quis vñquam diues tantam habuit potentiam, quis authoritatem tantam? Pauperi das, & Deus accipit. Immò & pauper tibi cælum aperit, teque recipit. Recipere in cælum Dei est, sed adeò illi chari sunt pauperes, vt hanc jurisdictionem suam velit cum illis habere communem. Hanc illorum potestatem quia agnoscunt Principes & Reges, idèò tantis eos sibi largitionibus deuinciunt, sibi que amicos reddere student, vt ab eis in æterna tabernacula recipiantur.

**Theodor.**  
l. 5. hist.  
c. 18. Placilla Theodosij Imper. vxor, teste Theodoro, pauperes & infirmos sua manu fouebat; cùm autem quidam vellent illam ab hoc opere auocare, dixit: *Aurum distribuere decet Imperatorem: ego autem pro ipso Imperio, ei qui id ipsum dedit, operam hanc offerre debeo.*

**Possidon.**  
in vit. S.  
August.  
c. 24. S. Augustinus, teste Possidonio, vasa frangi iussit, & in eos dispensari: & si quando Ecclesiæ pecunia deesset, populo denuntiabat, non habere se, quod in pauperes erogaret.

**Socrates**  
l. 8. c. 21. Acacius Amidae Episcopus, apud Socratem, vt pauperes Persas captiuos



nos, numero septies mille redimeret, vasa  
sacra vendidit, dicens suis clericis: *Deus no-*  
*ster neq; lancibus, neq; poculis eget; quare con-*  
*uenit hac in milites afflictos dissipari.* Et Theo-  
philus, apud Sozomenum: *Præstat, inquit,*  
*egrotorū corpora, quæ veriūs Dei templa sunt,*  
*restaurare, quàm lapidea edificare; quantò*  
*magis, quàm profana palatia, theatra,*  
*sphæristeria, marmorea equorum stabula?*

Sozomen  
l. 8. cap. 129

## §. VII.

*Sicut nos erga pauperes gerimus, ita se erga nos*  
*gerit Deus.*

D. Augustino consonat Lactantius, qui si-  
mul etiam inanem quemdam metum remo-  
uet ab ijs, quos sollicitudo incurrendæ pau-  
pertatis impedit à liberalitate in pauperes.

Lactant  
l. 6. de ver  
ro cultu  
cap. 12.

Ita enim loquitur: *Dicet aliquis fortasse: si hac*  
*omnia fecero, nihil habebō. Quid enim si ma-*  
*gnus hominū numerus egebit, algebit, capietur,*  
*morietur; ut hac facientem vel vno die patrimo-*  
*nio exui sit necesse: perdāmne rem familiarē,*  
*meo aut maiorē labore quasitam; ut jam ipsi*  
*michi aliena misericordia viuendum sit? quid tu*  
*tam pusillo animo paupertatē times, quam etiā*  
*vestri Philosophi laudant? nihil hac tutius, ni-*  
*hilq; hac tranquillius esse testantur? Hoc, quod*  
*times, sollicitudinis porcus est. An ignoras, quot*

R

periculis.

periculis, quot casibus, cum his malis opibus sub-  
 iaceas? quae tecum bene agent, si sine tuo cruce-  
 re transferant. Tu vero onustus incedis, & spolia  
 geris, quae irritent animos etiam tuorum. Quid  
 ergo dubitas, bene collocare id, quod tibi forsitan  
 eripiet, aut unum latrocinium, aut existens  
 repente proscriptio, aut hostilis aliqua direptio?  
 Quid verere, fluxum & fragile bonum facere  
 sempiternum, aut thesauros tuos custodi DEO  
 credere; ubi non furem praedonemque timeas, non  
 rubiginem, non tyrannum? qui apud DEVM  
 diues est, pauper esse numquam potest. Si iustitiam  
 tanti putas, sequere abiectis oneribus, quae te  
 premunt, libera te ipsum compedibus & catenis;  
 ut expeditus ad DEVM curras. Magni  
 & excelsi animi est, despiciere, & calcare mor-  
 talia. Sed si hanc virtutem non capis, ut diuitias  
 tuas in arcam DEI conferas, ut fragilibus tibi  
 compares firmiora, liberabo te metu. Omnia  
 ista praecepta non tibi soli dantur, sed omni populo,  
 qui mente coniunctus est, & cohaeret, sicut homo  
 unus. Si solus magnis operibus non sufficis, pro  
 virili parte operare iustitiam; sic tamen, ut  
 quantum diuitijs inter ceteros, tantum opere  
 praecellas. Neque nunc suaderi tibi putes, ut rem  
 tuam familiarem minuas, vel exhaurias, sed  
 quae in superuacua fueras impensurus, ad melio-  
 ra con-

ra conuertas. Vnde bestias emis, hinc captos redime; unde feras pascis, hinc pauperes ale; unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli. Quid prodest perdita nequitia bestiarios facere locupletes, & ad flagitia instruere? Transfer ad magnum sacrificium, male peritura, ut pro his veris muneribus habeas a DEO munus eternum. Magna est misericordia merces; cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, & ego audiam tuas; si misertus laborantium fueris, & ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adiuueris, & ego animum tuum contra te geram, tuisq; te legibus iudicabo.

## §. VIII.

Exempla eorum, qui, per pauperes, sibi ad cælum aditum fieri utiliter crediderunt.

Multis res firmari exemplis potest. Præclarum est illud, quod de Euagrio Philosopho refertur. Eum Synesius Episcopus ad Christi scholam cultumque traxerat; doceratque, illum, qui succurrit pauperi, fauerari Domino; eaque omnia, quæ in hac vita egentibus distribuuntur, in altera vita, præter centuplum, cælo remuneranda. Audijt Euagrius, & credidit, bonaque fide

Enirat. in  
Prato  
Spirit.  
cap. 195.  
Prou. 19.  
17.

Episcopo ter centum auri pondo in manus  
 consignauit, in pauperum stipem, dicens:  
*Accipe hoc, & distribue pauperibus, & da mihi  
 cautionem manu tua, quod Christus mihi ipsum  
 reddet in futuro saeculo.* Accepit Praesul au-  
 rum, & conditionem, syngraphamque Phi-  
 losopho conscripsit. Aliquot inde vixit an-  
 nis Euagrius; tandem tamen morti proxi-  
 mus, filios ad se vocauit, eisque hoc man-  
 datum dedit: *Ecce fatis cedo, vos mihi res-  
 ta persoluite. Cum verò funus meum cur-  
 rabitis, chirographum hoc mihi in manus  
 tradite, atque ita me tumulate, vt apud  
 iudicem ex syngrapha agere queam.* Parue-  
 runt gnati, parentemque cum scripta cau-  
 tione sua sepeliuerunt. Tertius à sepultura  
 dies in noctem ijt; cum Euagrius Synesio  
 Antistiti se visendum fuitit, eumque iussit ad  
 suum sepulchrum tendere, & chartam fidei  
 testem recipere, abundè enim sibi satisfac-  
 tum esse, quod & manu suà subscriptum  
 reperturus esset. Facto die Episcopus cum  
 clero sepulchrum adiit, reperit reserato  
 tumulo chartam à se confectam, in defuncti  
 manu hoc pacto, subscriptam: *Ego Euagrius  
 Philosophus accepi debitum in his litteris ma-  
 nu tua conscriptum, satisfactumq; mihi est, &*  
 nullum

*Nullum habeo contra te jus, propter aurum,*  
*quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & Salva-*  
*tori nostro.* Contigit hoc miraculum, ut con-  
 staret, ubi thesaurum suum reperturus es-  
 set, qui eum audet pauperibus concedere.  
 Quod quia vilissimum est, Robertus rex  
 Franciæ pauperibus stipem sua manu distri-  
 buebat, eorumq; manus exosculabatur, &  
 quotannis, die Iouis sacro, trecentis iuscu-  
 lum, piscem, panem & nummum argenteum  
 porrigebat, & quocumque ibat, plena pau-  
 perum plaustra secum circumuehebat, tam-  
 quam exercitum, uti aiebat, quo cælum iret  
 expugnatum, dicebatque: hoc esse genus ho-  
 minum, quibus Deus cælestis regni fores tra-  
 didisset, ijs aperiendas, qui in ipsos miseri-  
 cordiæ viscera prius aperuissent. *Fœneratur*  
*Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitu-*  
*dinem suam reddet ei,* ait Salomon. Hinc &  
 S. Leo: *Deus, inquit, fideiussor est pauperum,*  
*& largissimus redditor usurarum.* Quamob-  
 rem D. Chrysostomus homiliam propriam  
 de hoc argumento fecit, cui titulus est:

*Quòd elemosyna est ars omnium*  
*questuosissima.*

Baton:  
 An. 1033:  
 Bodinus  
 lib. 6. de  
 Rep. c. 21

Prou. 19:  
 17.  
 S. Leo  
 serm. 6:  
 de ieiunio 10,  
 mensis.  
 S. Chrys.  
 hom. 33: